

¶ Descriptio Instrumenti Lunæ.

PRINCIPIO designetur Zodiacus, quemadmodū in superioribus factum est. Deinde in alio plano pro quantitate semidiametri à D mundi centro usq; in punctū sub orbe signorum notatū, describatur circumferentia, cuius semidiameter diuidatur, ut in Saturno & Ioue in nonaginta sex partes æquales, & à centro D numerentur 12 partes, & 28 minuta unius nonagesimæ sextæ uersus orbem signorū, & finis harum sit litera C centrum eccentrici Lunæ, ponaturq; circini pes in D centrū mundi, & in C punctum altero extenso describatur circumferentia circuli, quam centrum eccentrici Lunæ ad motum orbium augem deferentiū describit, circa centrum mundi contra ordinē signorū. Postea à C centro eccentrici numerabūtur 60 partes, harum terminus sit A centrū epicycli Lunæ, ab hoc rursus cōputabuntur 6 partes & 29 m, & ubi terminabitur erit nota E , ponaturq; in C centrum deferentis circini pes, altero in punctū G , quod ab exteriori ambitu per octo aut nouem gradus semidiametri distet, extenso, describatur circuitus, hi igitur duabus diametris super D mūdi centro quadrentur. In secunda uero tabula ad magnitudinem iam iam descripti, depingatur super C centro circumferentia, & ex eodem centro ad quantitatem lineæ CA eccentrici circuitus. In tertia demum tabula secundum intercapedinem AE semidiametri epicycli, describatur circumferentia epicycli ueræ circulationis, & extra hanc quatuor alię, quę diuidantur in 360 partes, sicut in Saturno & Ioue factum est, hoc solo notato, quod series numerorum in epicyclo Lunæ aduersam partem perambulet, ita uidelicet, ut ubi in Zodiaco ordo signorū dextram uersus iuerat, hic leuam uersus gradiatur. Luna enim in superiori parte epicycli contra successiōnem, occidentem uersus ambulat, in inferiori autem uersus orientem, alię autem planetę econtra. Super centro itaq; A epicycli lunaris describatur circumferentia, & cum ea agatur, sicut in reliquis, cōpingendo eam rotulę eccentrici, ita ut super A punctum liberè uoluatur. In secunda uero tabula super C centro eccentrici describatur ambitus, duplo quasi maior epicyclo, qui ex eccentrico refecetur totus, describatur deinde in alio plano similis huic rotula, quę conglutinetur super C centro eccentrici in deferente augem signati ad ipsam deferentis rotulam, cui applicetur eccentrici orbis, & rotula hac aliquantulum maior in alia depingatur tabula, quę quidem affigatur priori super C centro eccentrici. Describatur deinde super D centro ad quantitatem lineæ DC circumferentia parui circuli, & intra hanc alia, circa quam ita compacti orbes cauentur, & agatur cum ijs sicut in Mercurio factum est cum deferentibus, compingendo eos tabulę orbis signorum, super D mundi centro. Postremo ex centris A epicycli, D mundi, & K puncto in paruo circulo opposito ipsi C centro eccentrici, emittantur fila serica.

d ij ¶ Centrum